C

NOMINA.

Perforata.

Androsæmon. Chamæpitys. Fuga dæmonũ.

ΥΠΕΡΙΚΟΝ, ἀνδρόσαιμον, χαμαιπίτυς Græcis, Hypericũ Latinis dicitur. Nomen latinum in officinis seruat. Vulgus herbariorũ Perforatam uocat, quod folia soli obiecta innumeris foraminibus scatere, & omni ex parte punctis quibusdã pertundi uideantur. Herbam quoq; diui Ioannis appellant, Germanis S. Johans kraut nominatur. Androsæmon ob florem eius qui digitis confricatus sanguineũ emittit liquorem, dixerunt. Chamæpitys uerò ab odore seminis resinaceo nominata est. Fugam dæmonũ aliqui, quod superstitione quadam inducti, fugare posse dæmones crediderint, appellauerunt.

FORMA.

Folia Rutæ similia habet, surculosus frutex, dodrantalis, rubescens. Florem luteum, qui digitis attritus sanguineum emittit succum, qua ratione Androsæmon, quasi humanum dixeris sanguinẽ, appellatur. Siliquas gerit subhirsutas, in rotunditate oblongas, hordei magnitudine, in quibus semen nigrum, resinam obolens. Cuius nimirum descriptionis notæ ita herbæ illi, quam Perforatam uocant nostri temporis herbarij, respondent, ut nemo nisi prorsus præfracto sit animo Hypericũ esse deinceps reclamare possit. Siquidẽ surculosa est herba, dodrantalis, subrubens, folio Rutæ, flore luteo, quem si digitis libeat terere, manus profectò inuenies sanguineo succo cruentatas. Siliqua denique terete, hordei magnitudine, semine intus nigro, resinam olente. Duo itaq; in Perforata inueniuntur, quæ esse Hypericũ certam tibi faciũt fidem, cruentus nempe floris triti succus, odorq; seminis resinaceus.

Marcelli Florentini erratum.

qui diuersum sentiunt hauddubiè Marcelli Florentini interpretatione falsa seducti sunt, qui flore albo constare Hypericum asserit, cum tamen in Dioscoride sit, αὐθος
D ἔχον μήλινον, hoc est, florem luteum habens.

LOCVS.

Gignitur in cultis, & asperis locis.

TEMPVS.

Aestate floret, Iulio potissimum & Augusto mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Hypericum calefacit & exiccat, tenuisq; substantiæ est.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vrinam cit, menstrua ducit appositũ. A tertianis quartanisq; cum uino potum liberat. Semen quadraginta diebus potum ischiadicis medetur. Folia cum semine illita sanant ambusta.

EX GALENO.

Menses & urinas prouocat: sed ad hæc totus sumendus est fructus, non tantum semen. Cum foliis illitus uiridis ad cicatricem ducit cum alia, tum etiam ambusta. Cæterũ si sicca contusa inspergas, humida & putredinosa ulcera sanabis. Sunt nonnulli qui ischiadicis bibendum exhibent.

EX PLINIO.

Natura semini Hyperici spissandi. Aluum sistit, urinam cit, ad calculos uesicæ cum uino bibitur.

DE HYOSCYAMO.

HYPERICVM